

hospitale^m [a] de Bonzanino fecerant, usque ad ponticellum / seu limitem, qui est ab hac parte Bonzanini, eis voluntarie dimiserunt. Ibidem vero fossatum novum juxta clausuram [A] illorum de Bonzanino [b] facientes, in quo Cosnam [c] in fossatum, tempore domini Talamacii antiquitus factum, eam commode derivari fecerunt; salvis rationibus hinc et illinc utriusque episcopatus.

*Quando Faventini et Bononienses fecerunt destrui domos castellanorum
castri Imole, quas in civitate habebant.*

CAP. CLXXVII.

Impactus^b

Anno a Virginis partu MCCXXIII [c] nolentes Imolenses quae Bononiensibus et Faventinis [d] iuraverunt attendere, multoties et saepius requisiti facere contempserunt. Quare, dolore inflampati maximo, curros et una [e] Imolam in mense Novembris misserunt, ut domos castellanorum castri Imolae ad Castellare portarent; quod infra spaciun VIII dierum compleverunt, et sic illud proverbium pauci sunt consecuti, quod dicit: *Impactus pici* [f] vulgo solet utpote dici. Omne retorquetur quodcumque dolere videtur. Et iterum: *Est vindicta minus bona, quae pejora meretur.* Et illud: *Infelix sensum tibi* [g] tanta dementia tulit [h]; et tua perpetuum [i] Imola dampna gemme [j].

Quando ampliata est civitas Faventia ab Uberto de Ozine.

CAP. CLXXVIII.

Post admirabilem Virginis partum MCCXXIII, sub Uberto de Ugine [k] Faventino potestate ampliata est civitas Faventia a cantone Posterlae [l] Asalonum, sicut trahit usque ad vineam Pepi de Ricamavo [m] [B].

[a] et hospitale, C. V.; et hospitalem, C. M. — [b] illorum de Bonzanino, C. M.; illorum d. Bonzanino, C. V. In charta concordiae inter Imolenses et Faventinos, sub anno 1181, numeratur inter consules Faventiae *Tregua Bonzaninus*. — [c] in quo Cosnam. Sic Codd.; sed lege quo, vel ex quo Cosnam. Hic Cosna sumitur pro rivo quodam, sive aqua fluente, quae loco illi dat etiam nomen. — [d] Bononiensibus et Faventinis. Sic lego cum C. V. — [e] curros et una, C. M.; curros.... Imolam, C. V., ubi videtur omissum aliquid. Lege: *currus, pro curros.* — [f] *Impactus pici.* Sic lego; *impetus pici*, C. V — [g] quae tibi, C. M.; Sic legit Cl. Mitt.; quae tunc, et etiam, quae te, C. V. — [h] dementia tulit, C. M.; dementia fallit, C. V. — [i] et tua perpetuum, C. M.; et tua perpetuo, C. V. — [j] damna gemme dampna gemme, Codd. — [k] Uberto de Ozine et de Ugine. Sic C. M. An vulgo di Udine? minime; nam patria erat Mediolanensis, ut constat ex Chron. Cantinelli. — [l] a cantone Pusterlae. Sic C. V. et el. Mitt.; a cantone posterlae, C. M. — [m] Pepi de Ricamavo, C. V. In C. M., *Pepi de ricamavo*, vel *ticamavo*, legi potest. Tondut. legit: *de Tencamavo*; Zuccul. legit: *de Ticamavo*. In charta vero Archiv. Azzur, sub anno 1250, nominatur sic: *Pepus Ricamani*.

[A] Clasuram nominabant olim et hodie adhuc dum, quibusdam in regionibus, praedium undique clausum et septum. Saepe nomen clausurae in hoc sensu occurrit in documentis antiquis.

[B] Ampliatio huiusmodi parva quidem fuit; quemadmodum ex alibi dictis in Animadversionibus colligi potest.